DE CLEMENTE 13. PONTIFICE MAXIMO RECENS CREATO ORATIO HABITA IN TEMPLO B. MARIAE...

Giovanni De Luca, Bartolomeo : da#Roma, Valenti Gonzaga



ORATIO.

QUA duodecim ab hinc annis alacritate de laudibus Petri Regalati, quem alumnum insignem Ordinis mei Summus Pontifex Benedictus inter Sanctos retulerat, verba feci, eadem me de CLEMENTE DECIMOTERTIO novo Pontifice renuntiato & Ordini ipsi, qui ei plurimum debet, & Serenissimæ VENETORUM REIPUBLICÆ, quæ, cive hoc suo honorem summum adepto, est gloriæ fructum amplissimum consecuta, maxime decet gratulari. Ac nobis quidem quantopere sit lætandum, quos Sanctissimus Pontifex præcipua quadam, & vere paterna caritate complectitur, non multis verbis ostendam. Nam

& mihi in semihoræ curriculum contrahenda oratio est, & cum præsentia vestra, Eminentissime Princeps [1], Præsulesque Illustrissimi [2], tum vero ipsa majestas hujus templi augustissimi a me requirit, ut in unius REIPUBLICÆ VENETÆ exponenda lætitia, ejusque causis insistam. Hoc enim templum non ad triumphos modo beatorum hominum, qui ritu Ecclesiæ sunt consecrati, honestandos, ut in eo, quem diximus, factum est, aptissimum duco; sed providentia divina constitutum videtur ad Venetorum gloriam in hac principe civitate orbis terrarum, & in hac luce omnium gentium prædicandam. Huc, Pio Quinto Petri Sedem tenente, magistratus Romani convenerunt, ut Jesu Christo victori, & victoriarum datori de immanissimo hoste ope potissimum Venetorum prostrato gratias persolverent. Non erit igitur alienum a persona mea oratoris, si Venetus homo ad Venetos Præsules de Venetorum lætitia in hac ad eos honoris accessione orationem instituam, & eo dicam in loco, ubi Venetæ fortitudinis, & in Ecclesiam pietatis egregiæ monumentum videtis aureis litteris consignatum [3]. In

1 Is est Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Daniel Cardinalis Delphinus, Patriarcha, & Archiepiscopus Utinensis.
2 Veneti erant omnino novem.
3 Victoriæ nimirum de Turcis relatæ ad Echinades insulas anno 1571.

In communi populi Christiani gaudio, quo cum gratissima summi honoris ad CAROLUM CARDINALEM RHÆTIONICUM recens delati fama cumulavit, ut præcipuam quamdam VENETORUM RESPUBLICA voluptatem perciperet, non communes modo sibi cum Regibus, cum Rebuspublicis, cum Principibus aliis causas habuit; sed alias etiam potiores, & ad se proprie pertinentes, quæ ut majorem ipsius, atque insigniorem lætitiam, sic pacis otium, quo, bello ardente in propinqua Germania, etiamnum fruitur, jucundius reddunt. Nec vero dubium cuiquam esse potest, quin ex divinis oraculis, atque adeo fide, Christiani qua sumus, ratum sit, quicumque ab ordine Cardinalium gravissimo in Petri solio sit collocatus, (quando res illa tota non humanis consiliis, sed instinctu Dei, atque afflatu administratur) eum ut populus Christianus, & ipsi Reges, ac Principes venerentur; &, cum populum quisque suum humanis legibus moderentur, & regant, ejus in gravissimis rebus responsa, & leges tamquam oracula libentissime accipiant; auctoritatem non tam ei hominum consensione, quam divinitus datam vereantur; ab eo denique, quem Deo carum & esse, & fore ille Se-

natus, quo in orbe terrarum nullus eſt ſanctior, judicavit, numquam ſe diſceſſuros profiteantur. Verumtamen alia eſt animorum alacritas, cum homines ejus, quemcumque Deus placere ſibi indicavit, & rectorem impoſuit, æquis animis, ac libentibus imperium accipiunt; alia, cum, quem ſemper ipſi, in ejus vitam prope intuentes, eo munere dignum judicarant, ejus merita vident Dei quoque judicio comprobari. Primum igitur gratiſſimum Venetis, atque optatiſſimum accidit, cum Pontificem eſſe creatum, qui per omne anteactæ vitæ ſpatium talem ſe præſtitiſſet, ut tamquam perfectum, & abſolutum antiquæ illius innocentiæ, & integritatis exemplum omnium prædicatione commendaretur. Hanc ille de ſe cujuſvis ordinis hominum opinionem futuram jam inde a puero indicia non dubitanda præbuerat: qui cum in domo patricia, atque copioſa fortunæ bonis præſentibus uti poſſet, & in honeſto otio ætatem traducere, noluit tamen; ſed ad animum ſuum perficiendum familiæ opibus diligenter eſt uſus: cumque eum tribus præcipue rebus perfici ſciret, & ad illud exemplar divinitatis, unde originem ducit, proxime accedere; primum ſtudiis doctri-

næ,

næ; deinde iis actionibus suscipiendis, quibus hominum commoda procurentur; præstanti denique in Deum religione, qua iter ad vitam præsenti vita optabiliorem paretur; ita ipse vitam adolescens instituit, ita vir, atque senex in instituto perseveravit, ut nullum temporis punctum ab iis, quos dixi, finibus aberrasse, aut mentis aciem deflexisse videatur. Cum autem semel ad veram laudem contendere animo penitus imbibisset, ad eam sibi, quæcumque ageret, referenda, & omnia, quæ eo non pertinerent, respuenda, & flocci facienda esse duxit. Videre erat adolescentem Bononiæ doctissimis, sanctissimisque magistris ita operam dantem, ut illum ab eo, quem susceperat, cursu nec laboris asperitas deterrere, nec avocare voluptatum blandimenta possent. Quid vero inclyta patria ab eo jam boni sperare non poterat, cum præclara illa semina, quæ diligenter subacto, ac præparato animo coluerat, omni ratione foverat, aluerat, auxerat, efferrent tandem ipsa se, & fructus expectatione dignos afferrent? Sed Roma illum, Roma urbium princeps ad se vocabat; & sub cujus olim imperio beata futura erat, ejus præsentis virtutem tanto ante gustare, ac cognoscere cu-

piebat. Romam igitur venit; omnium bonarum artium, ut ita dicam, emporium, & virtutum palæſtram: quibus ſi CAROLUM RHÆTIONICUM ſupra cæteros Præſules floruiſſe affirmaro, nemini, puto, fiat injuria. Rara erat in viro probitas, exquiſita prudentia, &, cum in Rota, quam vocant, juri dicundo præeſſet, juſtitiæ amor eximius, candor animi, ac fides inuſitata; tanta vero erga Deum religio, & in Cælites pietas, tam effuſa in pauperes liberalitas, ut, quacumque incederet, tamquam exemplum quoddam perfecti hominis Chriſtiani ſpectaculo eſſet. Hic ego vos teſtes appellabo, Quirites, qui eum ſæpe contectum ſacco vidiſtis, & fune cinctum nudis pedibus obeuntem compita Urbis, hominem id temporis ob ſtudiorum labores habitu corporis non firmiſſimo, ſtipemque a civibus corrogantem, quam pauperibus daret, qui incluſi carceribus tenerentur. Quoties illum in templis fundentem preces ad Superos, & in rerum cæleſtium meditatione defixum, quoties ægrotis, ac peregrinis quam amanter, & pie miniſtrantem attoniti ipſi, veſtramque in eo imitando indiligentiam apud vos tacite incuſantes, contuiti eſtis? Ergo cum RHÆTIONICUM Roma tota in ſinu, atque in ocu-

lis

lis ferret, Clemens XII., vir, cum in cæteris rebus eximia quadam prudentia, tum miro in pernoſcendis hominum ingeniis acumine præditus, qui neminem ſciret in hac Urbe perſonam aut diutius tuliſſe, aut ferre poſſe, hominem non fucatæ, ſed veræ pietatis, & inſigni præterea doctrinæ laude florentem in ampliſſimum Patrum Purpuratorum collegium aggregavit. Hic ego, ſi, quod poetæ ſolent, idem nobis quoque facere liceret, Neſtoreum mihi aliquod eloquentiæ flumen optarem, ut quaſi per gradus attolleretur, & ſe ipſa grandior, ac ſublimior fieret oratio. Vix enim fas videtur de raris, inuſitatiſque rebus dicentem uſitato, & quotidiano genere ſermonis uti. Sed in hac conſcientia tenuitatis meæ illud me recreat, atque ſuſtentat, quod apud eos me dicere intelligo, qui rerum a Carolo Cardinali Rhætionico divinitus geſtarum partim Venetiis, atque Patavii, partim Romæ teſtes, ac ſpectatores fuerunt. Nihil eum omnino Cardinalatus dignitas immutavit; ſed tantum, ut ejus virtus a pluribus cognoſceretur, effecit: eamdem, quam privatus, in omnes facilitatem, eumdem cultum, eamdem vitæ, ac diſciplinæ ſeveritatem retinuit plus annis viginti.

ti. Quantum ei prudentiæ, & acuminis ad videnda ea, quæ vera, & recta essent, quantum animi, & libertatis ad eadem proferenda, quantum auctoritatis ad obtinenda semper fuerit, quid opus est, præsertim apud vos agentem pluribus verbis exponere? Sed eam tamen beneficentiam nequeo tacitus præterire, qua in omnes est usus, posteaquam Episcopatum accepit, & cujus habet is quidem laudatores quamplurimos, utinam vero æque multos imitatores haberet. Erant illi proventus e bonis Ecclesiæ oppido uberes; at erant etiam alendi, ut in amplissima diœcesi, pauperes bene multi; erat templum Patavii princeps ædificandum, ornandum; erat & Clericorum seminarium, totius Italiæ clarissimum, partibus multis amplificandum; erant familiæ Religiosorum Patavii, erant Romæ sublevandæ; inter quas nostræ, illæ nostræ, quæ secessum amantes commercia vulgi declinant; tum hæc præsertim hujus templi augustissimi cultrix assidua; cujus ille templi novennio titulum gessit. Verum his omnibus exequendis amantissimus Pastor nequaquam defuit, contentus scilicet ipse parvo, & parabili victu, atque cultu; quem sibi tamen non proventus Eccle-

siæ,

ſiæ, ſed patris optimi pietas, non magis in filium, quam in egenos incenſa, ſuggerebat. Verum hæc beneficia in rebus potiſſimum extra animum poſitis verſabantur: quid illa ad animos pertinentia, diœceſim obire, difficultates contemnere, aut ſuperare, importunitates etiam devorare, mores ad religionis præſcriptum inſtituere? quid illa Patavii ſtatis diebus catechiſmo intereſſe, die, noctuque ſacroſanctum Viaticum, quoties ad ægros morti jam proximos deferretur, comitari? quid impetraſſe a deceſſore Pontifice Benedicto, ut baſilicæ ſeptem Patavii eſſent, ejuſmodi ornatæ beneficiis, quibus ſeptem Romanæ; ut quiſquis caſte, ac religioſe illas viſeret, Deumque in illis veneraretur hoc ritu, quo in Urbe ſolemus, pœnarum omnium, quæ, peccatis dimiſſis, luendæ adhuc reſtarent, remiſſionem pleniſſimam obtineret? Qua re civitas, non ſtudiis modo doctrinarum, verum etiam pietatis Chriſtianæ in primis dedita, ita in Præſulem ſuum incenſa eſt, ita eum diligit, atque obſervat, nemo ut jam ſit, quin, ſi fieri poſſet, velit aliquid vitæ detractum ſuæ, ut ejus additum vitæ eam longiſſime prorogaret. O vis virtutis, quid non in eorum pectoribus,

qui

qui te cognoverint, efficis? Pulchritudinem Plato tuam, si cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam esse dicebat. Atqui sub corporis oculos illa non cadit, sed tantum actionibus indicatur: & eam oculis animi homines probi, ac moderati videre possunt, qui, quod nulla cupiditatum nubes opposita est, multo, quam cæteri, cernunt acutius. Cum ergo in Caroli vita, rebusque gestis præter communem modum coruscares, eum permultis, qui ejus animum noverant, admirabilem, cunctis, qui facta suismet oculis hauriebant, unice amabilem reddidisti. Tu, quæ illum ab ipsis incunabulis susceptum perpetuo comitata eras, Cardinales gravissimos, & cujusque rei æstimatores acerrimos, admiratione suspensos tenuisti: tu ab illis suffragia, quibus Episcopus Patavinus Pontifex Maximus crearetur, elicuisti: tu illum sola in isto celsissimo dignitatis inter homines Deo proximæ solio tuis ipsamet manibus collocasti.

Quare non est mirandum, Auditores ornatissimi, si tali Pontifice, suo cive, creato, Venetorum Respublica, quæ studium quoddam incredibile erga hanc sacrosanctam Sedem ab ipsis inclytæ civitatis conditoribus hæredi-

tarium

tarium accepit, tanto ex ea re gaudio affecta est, quantum neque mea, neque cujusquam oratione satis potest declarari. Nam cum ita natura comparatum sit, ut quisque apud eos in honore esse, ac florere cupiat, quorum causa plurimum laboravit, in plurimaque se, ac maxima pericula exposuit, necesse est Venetos præter modum lætari, hoc viro patricio Romanæ Ecclesiæ præposito, pro cujus Ecclesiæ dignitate majores ipsorum toties de vita, fortunisque omnibus dimicarunt. Vere enim hoc, vere, & sine cujusquam injuria gloriari possumus, duabus præcipue laudibus homines nostros jam inde ab inclyta civitate constituta perpetuo floruisse; quod & Catholicæ religionis non conservandæ tantum, sed etiam propagandæ studiosissimi, & ad Pontificum Romanorum dignitatem tuendam, salutem, & otium conservandum paratissimi semper fuerunt. Ab his Leo Imperator Isauricus, qui contra sacras imagines, & Gregorium Secundum impium bellum susceperat, navali prælio subactus, & regni parte multatus est. Horum virtute Constantinopolis capta Latinos ritus admittere, & Innocentio Pontifici hoc nomine Tertio parere cœpit. Hos Fridericus Ænobarbus ab Ale-

xandro Tertio damnatus cum Apostolicæ auctoritatis ab se violatæ egregios vindices esset expertus, ab iis pacis conditiones, redintegrata cum Pontifice gratia, humi stratus accepit. Hujus nepotem Fridericum Secundum a Gregorio Nono anathemate ictum, ob idque implacabili adversus Ecclesiam Romanam odio flagrantem, & cæde, ac sanguine omnia complentem, administrumque, ac satellitem crudelitatis ipsius Actiolinum tyrannum Veneti in acie conciderunt. Atque ut finem dicendi faciam, si omnia, quæ in hoc genere nostri gesserunt, unum in locum collata cum iis, quæ ab aliis gentibus gesta sunt, comparentur, nec numero ab iis, nec magnitudine obruentur. Quæ ne quis magis ambitiose, quam vere a me dicta arbitretur, Annales Ecclesiæ in manus sumat: in iis reperiet, Venetorum Ducem, Senatum, populum ab iis, quos dixi, Pontificibus Maximis summis laudibus celebratos: ab Innocentio præsertim Tertio, sapientissimo homine, ac vere Magno, fuisse Venetos appellatos *Cooperatores probissimos, & efficaces ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ* [1].

Hæ

[1] In litteris Innocentii Papæ Tertii ad Raynerium Dandalum vice fungentem patris ejus Henrici Serenissimi Ducis Venetiarum: quibus litteris Thomas Maurocenus Patriarcha Constantinopolitanus instituitur.

Hæ causæ sunt, cur VENETA RESPUBLICA, quæ neque pietate in Deum, neque observantia erga Summos Pontifices, neque ulla denique virtute cuiquam cedit aliarum gentium, hoc Pontifice declarato, incredibile quoddam ex ea re gaudium ceperit: cum suorum insignium in sanctam Sedem meritorum ita demum rationem esse habitam videat, ut sit Pontifex factus ea virtute, ac bonis animi præditus, quæ ipsa in civibus optet suis, & admiretur.

Id unum restat, quo cumulate, atque perpetuo gaudere possimus, ut CLEMENS XIII, qui Venetorum quintus Petri solium ascendit, ita vivat incolumis, (quod ab omnium bonorum auctore Deo infimis precibus postulamus) ut Gregorii Duodecimi ex Corraria gente prudentiam, ac religionem; Eugenii Quarti ex Condulmeria adversus hostes Ecclesiæ robur invictum; Pauli Secundi ex Barborum familia in sacras ædes munificentiam; Alexandri denique Octavi ex Othobona in asserenda Pontificatus auctoritate constantiam quam diutissime repræsentet.

F I N I S.